PRO XV. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Cum Jesus *appropinquaret portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur Filius unicus Matris suæ,*
Luc. 7.

I. Argum. De Morte, Quomodo nobis auferat errorem illusionum vitæ præsentis.

Sermonis hujus finis est, ostendere, quo pacto mors nobis errorem auferat, & corrigat vitæ hujus illusiones, quæ potissimum sunt tres. Prima est vitæ ipsius, quam putamus nunquam defituram, nobismet chimæricam pollicemur æternitatem, sed mors edocet, nobis serius, ocyus esse moriendum. Altera est bonorum vitæ hujus, quibus inhæremus, & nos docet mors illa vel nihil esse, vel modicum, & licet esserat majora, hæc tandem aliquando esse relinquenda. Illusio tertia respicit nosmet ipsos; aliquid nos esse putamus, & mors efficit, ut intelligamus, quod sumus.

Harum illusionum prima ad ipsam pertinet vitam. Nobis quidem persuadere non possumus nos non morituros; fides, ratio, experientia nobis oppositum persuaserunt: sed pro virili parte mortem arcemus, credimusque nos hac die, hac hebdomada, hoc mense, hoc anno nequaquam morituros, & proinde quamdam æternitatis speciem comminiscimur. Sed mortis cogitatio dissipare debet hanc illusionem; mors enim in singula momenta potest irruere, & nihil incertius est hora, & genere mortis nostræ; exemplum enim plurimorum, quos morientes videmus, cum minime cogitant, nos admonet, nos fortasse vicem eamdem manere, nosque iisdem casibus obnoxios esse, & demum Veritas ipsa nos docet, quod semper parati esse debemus, nescimus enim, quando Dies Domini adveniet. Ostendere possumus nemini locum esse longiorem vitam sperandi, quam illis qui illam inter flagitia trahunt, & de morte sunt minus solliciti. Hinc elici possunt plures, æque præclaræ conclusiones, cujusmodi essent quo magis mortis cogitationem differimus, eo minus paratos fore ad bene moriendum; nos totum vitæ nostræ curriculum in jugi illusione traducturos, cujus errorem nonnisi mors auferet; vitæ hujus illecebras nos privaturas felicitate, quam in altera vita nobis præparaverat Deus; & nos oblitos mundum hunc non esse mansionem nostram, non adlaboraturos ad procurandam nobis æternam in Cælo beatitudinem.

Altera illusio illa est, quam gignunt mundi hujus bona. Profecto si mundus spectetur ex hoc nitenti cortice, habet illecebras ad nos fallendos aptissimas. Exterior hæc species qua sumus amicti, hæc potentia, quæ efficit, ut omnia voluntatibus nostris pareant, honor, quo septi sumus, hæc omnia nos fascinant, ac taliter fallunt, ut pauci sint, qui illis se capi non sinant; sed medium semet præmuniendi adversus illusionem hanc adeo generalem, est mutuari lumina, & veritates a morte. Quærite ex hoc ambitioso, qui adeo sese extulit per technas, & dolos, quid in morte senserit de his honoribus, & dignitatibus ad quas per tot labores pervenit, & de præclaro gradu, pro quo tanta passus est. Heu! hæc evanescunt omnia, cum coram Deo prodeundum est. Quanti facit opes suas, quæ illum a morte nequeunt tueri, & quæ in altera vita nihil sibi profuturæ videntur? Incipit tandem in morte suam agnoscere cæcitatem, & errorem ejicere, nimis adhuc beatus, nisi hæc illusio funestiores haberet effectus.

Tertia illusio est hominis ipsius in hac vita, cum se ipsum dimettens ex specie externa, & fulgore fortunæ, generis, vel præclararum qualitatum suarum aliquid se esse putat. Hæc autem illusio, vel ut melius dicam, impostura hæc dissipanda est mortis cogitatione, atque meditatione. Primo enim separabitur homo ab hoc luxu, hac pompa, & iis omnibus quibus circumdatus est, atque tunc se prorsus nudum, ac solum deprehendet. Proh Deus, quæ mutatio! cum rebus omnibus exuetur, & ex illis omnibus, quæ possidet nihil sibi erit reliquum præter sudarium, sandapilam, & quinque, & ad summum sex agri pedes. Secundo vita, motuque carebit, oculi ejus æterna obruentur caligine; os obstruendum non ultra aperiendum; lingua antea adeo eloquens, ac diserta, sodalitatum omnium oblectatio, silebit. Tertio corpus hoc cedet in pabulum vermium, fietque horroris spectaculum, quia factum putredinis aceryus, ita fœdum, ac turpe erit, ut nemo illud audeat conspicere. Præterea quid fiet de hac mentis elegantia, de scientia, ac industria, acumine, ingenio, quæ cor hominis inflant, & faciunt, ut sese supra ceteros homines jactitent? Si haberet altius impressam in spiritu mortis cogitationem, næ ille abjiceret sublimem ideam, quam fovet de se.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: Mors.

Cum Jesus *appropinquaret portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris suæ,*
Luc. 7.

II. Argum. Quid certi, incertique sit in morte.

In morte aliquid certi est, & simul aliquid incerti. Certum est nos certissime morituros; incertum est tempus, locus, & modus quo sumus morituri. Illud vero certum simul, & incertum status in quo erimus, quando moriemur. Ex triplici hac veritate, quæ constituet sermonis partitionem haurire possumus conclusiones, & monita salutaria.

Primo moriemur, hoc certum est, & non licet ambigere. Patriarchæ, qui plura vixere sæcula, tandem diem extremum obierunt; Reges, & præpollentes Monarchæ huic legi subjecti fuere, postquam tot populis imperitaverunt. Robustissimi homines, & qui perfectissima valetudine usi sunt, mortem evitare non valuerunt. Nos igitur quoque sicut illi moriemur. Sed quid sibi vult hoc moriemur? hoc nempe! Corpus nostrum sternetur in feretro, vermibus pascetur, in pulverem redigetur; anima vero in ignotam regionem abibit, in Dei judicio statuetur &c. Quas hoc in loco efficere possumus animadversiones? Impii, & æquo liberiores hanc inferunt consequentiam, quæ in Scripturis relata est: *Veniite, fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura.* Philosophi, & qui se spiritus fortes jactant, non aliud inde arguunt, nisi mortem viriliter esse obeundam, & si fieri potest, vivendum esse in posterorum memoria. Sed Fidelis inferre debet, nos præparandos esse ad bene moriendum; quoniam non licebit ultra medicinam adhibere, si hac in re fuerit erratum. Nos in antecessum mori debere, nosmet a mundanis rebus avellere, & ea facere, quæ tunc fecisse cuperemus.

Secundo in morte incertum est tempus, locus, & genus mortis. Hinc inferendum est, opus esse ut contra mortis insidias nosmet præmuniamus, re enim vera mors plurimos ex insidiis adoritur. Sexcenti casus accidunt in vita, vitia, ac intemperantia sæpe subitæ necis est caussa, vel immaturæ; & sæpe hanc permittit Deus in pœnam criminum nostrorum, nostræque negligentiæ. Decet igitur semper esse paratos.

Tertio in morte certum simul, & incertum est, nescire nos quonam in statu moriturisumus; & nihilominus constat, nos in hoc statu in omnem æternitatem esse permansuros. Quam horrendum est mori in statu peccati! Quam optabile mori in statu gratiæ! nescimus utrum perseverantiam simus habituri, & scimus nisi illam consecuti fuerimus, nos in nullam reditus spem esse interituros.

Vide eumdem Titulum in Bibliotheca.

Cum Jesus *appropinquaret portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris suæ,*
Luc. 7.

III. Argum. De cogitatione mortis, & quantam utilitatem cogitatio hæc nobis est allatura.

Tria potissimum sunt propter quæ Fidelis mortem reformidat; sed frequens mortis hujus cogitatio aufert nobis hunc metum.

Primum est peccatum, qui ex Apostolo stimulus mortis est, quemadmodum nonnulli explicant, est aculeus qui dolorem parit, efficitque, ut metuamus justum peccati supplicium; sed cum mortis cogitatio efficiat, ut peccatum destruamus per sinceram pœnitentiam, in caussa est, propter quam illam minus reformidemus, postquam, ut ita dicam, illi abstulerimus arma.

Secundum est, Adhæsio illa quam habemus cum mundo. Sed mortis cogitatio hæc vincula infringit, per quæ fortius hæremus illi, & efficit, ut ultro, ac libenter faciamus id, quod necessario nobis esset faciendum.

Tertium est Judicium Dei, ad quod post mortem nobis est prodeundum, sed possumus ne isthæc cogitare, quin hoc in statu rationes nostras supputemus, & citra metum extremum hoc momentum præstolemur?

Vide locos in superioribus argumentis connotatos.

PRO XVI. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.
Luc. 14.

I. Argum. De Avaritia, cujus figura est hydropisis quæ hominem semper efficit sitientem.

Mores quibus omnes sumus obnoxii, & quibus corpus nostrum sæpe laborat, longissime abest, ut æque sint pernicioſi, ac vitia, & habitus pravi, quæ sunt tamquam vulnera, & ægritudines animæ nostræ. Ex infirmitatibus autem, quæ corpus nostrum affligunt, nulla nobis melius repræsentat inexplebilem avaritiam, neque tantum nobis ciere potest ejusdem horrorem, quantum hydropisis. Hoc Dei Filius nobis innuere voluit per curationem Hydropici Evangelici. De hoc vitio hodierna die apud vos verba facturus sum, ob oculos vestros objiciens tria illa malorum genera, quæ mortales in vita hac maxime reformidant, & quæ evitare conantur, illa esse eadem, quæ sibi conflat avarus per inordinatam cupiditatem, qua possidetur.

Primum est turpitudo, & dedecus; nihil enim hominem magis dedecet, quam rumor avaritiæ.

Alterum est servitus, & captivas. Quid non audemus cum vinculis ferreis adstringimur, ut illa infringamus, & perdiram reparemus libertatem. Quæ vero servitus crudelior, ac turpior, quam avaritiæ? Sed qui tenentur amore divitiarum, illam sustinent, eique libenter sese subjiciunt.

Tertium dolor est, sollicitudo, & ægritudo, quæ nobis odiosam efficit vitam. Tamen nemo est, qui durioribus pœnis torqueatur, quam avarus, & qui illas majori cum patientia sustineat.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Mor. Evangel. Titulum: Avaritia.

Aliter etiam pertractari potest hoc argumentum ostendendo tria mala huic vitio inhærentia, propter quæ Deus illud, simul ac homines oderunt. Aliter efferri potest hoc argumentum.

Primo turpitudinem, & infamiam, quæ caussa est, propter quam omnes hac se labe infectos esse negant, neque hoc crimine se accusari patiuntur; quod argumentum est turpitudinis, atque indignitatis.

Secundo impietatem, atque irreligionem, ita ut ab Apostolo vocetur *servitus idolorum*. Plures adferuntur caussæ, sed potissima est, quia ab avaris omnia negliguntur Religionis officia, ut illis vacet inquirere, & undequaque colligere divitias, non aliud in animo habituris.

Tertio credulitatem in miseros, qui opprimuntur, & in semet ipsos.

Alia ratio ipsum argumenti pertractandi.

Ostendi etiam potest, ab avaro omnia sacrificari Avaritiæ tamquam suæ divinitati.

Primo sacrificat avarus honorem, & existimationem suam; hæc enim labes corrumpit omnia, & vitiat omnes laude dignas qualitates, quibus homo ornatus esse potest, cumque reddit universis odiosum, & contemptibilem.

Secundo illi requiem suam sacrificat, propter curas, & sollicitudines quibus torquetur, ut cumulet, tueatur, augeat divitias suas, quæ caussa est omnium laborum, atque curarum vitæ suæ.

Tertio suam illi conscientiam, animam, æternamque salutem sacrificat per multitudinem criminum, quorum insana ista cupiditas origo est.

Vide locos superius memoratos.

Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco. Luc. 14.

II. Argum. De ambitione.

Cum Dei Filius nullum frequentius exprobraverit vitium Pharisæis in Evangelio, quam superbiam, & ambitionem; ita nullum est contra quod impensius præmuniverit discipulos suos, & eos omnes, qui novam illius Legem erant amplexuri. Nullum est præceptum sæpius repetitum, hoc humilitatis; nullumque peccatum, contra quod altius fuerit invectus in omnibus occasionibus quam contra ambitionem; & demum nullam prætermisit, modo blandami, modo acrem, vehementemque medicinam, ut curaret malum, quod ab ipsa haurimus nativitate, & quod plerumque extremum est, a quo recedere consueverimus. Quamobrem Sanctus Augustinus inquit, nullam in Sacris Scripturis esse paginam, ubi non inveniamus, Deum superbis quidem resistere, & nihil prætermittere, ut dejiciat ambitiosos.

Afferi tamen potest Salvatorem nullibi apertius ambitionem impugnasse, quam in hodierno Evangelio, in quo data opera proponit parabolam contra illos, qui in publicis cœtibus primos recubitus appetunt. *Dicebat autem ad invitatos, parabolam intendens, quomodo primos accubitus eligerent:* Dat autem præceptum hoc admirabile, sibi novissimum locum vindicandi, & rationem adfert, ne, inquit, si alius te spectabilior invitatus accesserit, convivii dominus te admonere teneatur, decedendum tibi esse a loco quem occupasti: *Cum invitatus fueris ad nuptias recumbe in novissimo loco.* Latius explicat, & familiari utitur exemplo, quod obiter alibi dixerat, videlicet neminem propiorem esse casui, quam qui inordinata cupiditate altius attolli desiderat; & demum, hoc concludit axiomate, quod in ore Veritatis ipsius factum est Oraculum: *Qui se exaltat, humiliabitur*, ut nos avertat ab ambitione, per eadem ipsa, quæ ambitiosi maxime reformidant, nempe videre se sub pedibus illorum ipsorum, supra quos conantur assurgere. Jure igitur Christiani, vobis ostensurus mala, quæ periculosa hæc parit cupiditas, ratus sum mihi occurrendum esse iis omnibus, quæ ad illam propugnandam poterant afferri, & vobis auferendos fallaces prætextus, quos amor proprius excogitavit, ut blandiretur naturali studio, quo rapimur; sed spero, fore ut errorem abjiciatis, ubi vobis ostendero; Primum, ambitionem fontem esse plerorumque malorum, quæ hodie graſſantur in mundo. Secundo cum sit inquieta animi perturbatio, ardens, ac tumultuosa, omnem vitæ nostræ requiem perturbare. Ita ut sive nosmet inspiciamus quatenus homines in vitæ civilis commercio implicitos, sive quatenus Fideles, qui vivere tenentur secundum Religionis placita, ambitio sit periculosior scopulus, qui in utroque statu inveniatur, & in quo vix evitari potest pereundi periculum, cum nosmet conamur attollere contra Dei voluntatem. Hæc erit tota hujus sermonis partitio.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: Ambitio.

Ostendere etiam licet Ambitionem in natura sua considerandam esse nimiam sese attollendi festinationem; quare sit cupiditas hæc admodum periculosa. Aliter efferri potest hoc argumentum.

Secundo in mediis, quibus utitur, esse injustam, quippe ex merito asserto fit indignitati suæ supplementum.

Tertio funestam in exitu sive pro tempore, sive pro æternitate.

Ostendi quoque potest, neminem in hac ipsa vita calamitosiorem esse ambitioso, idque tres ob caussas, quæ sermonis partitionem possunt statuere. Rursus aliter potest pertractari.

Prima propter cruces, servitutem, & voluntariam captivitatem, ad quam redigitur ambitiosus; ut votorum suorum summam consequatur; hoc est ut ambitiosi perveniant ad dignitates, & gradus, quos appetunt; quis enim ignorare potest abjectas, turpesque assentationes, quibus utuntur, ut in magnatum gratiam adrepant? Serviles assiduitates, quibus illis famulantur? Quam non induunt personam, ut sese eorum libidini accommodent? Quamobrem Sanctus Bernardus exclamat, O *ambitio, ambientium crux*! Hoc argumentum locum tribuit hypotiposi hominis ambitiosi; atque ostendendi, quo pacto ille repit, ac se humiliat antequam se attollat, quomodo diu serviat, antequam dominetur, ubi plurima dici possunt. Quo timore, qua agitur sollicitudine, exitum prætolatus consiliorum suorum? Quo dolore conficitur, cum illa pessum ire cognoscit? quibus agitur angoribus, cum de spe sua se dejectum intuetur? &c.

Ratio altera propter quam ambitiosi sunt odiosi Deo simul, & hominibus. Hanc Veritas ipsa protulit loquens de superbia, quæ ambitionis comes est individua. In ipsis eorum ambitiosis consiliis Deus illis resistit, juxta Oraculum Spiritus sancti. Videtur etiam oblectari Deus sese eorum conatibus objiciens, & illorum consilia evertere gestiens; superbia enim, præsumptio, & audacia ambitionem semper concomitantur. Exempla ex Scripturis deprompta perspicue hanc probant veritatem; nec minus odiosi hominibus sunt; qui per secretam superbiam pati nequeunt, ut alii super se ipsos extollant; unde fit, ut clanculum illis adversentur, nisi palam audeant per clandestinas coitiones, & societates, quas adversus illos ineunt, ex quibus secreta afficiuntur lætitia, cum vident diruta horum ambitioforum consilia.

Tertia denique propter pericula, quibus semper sunt obnoxii, sive ex parte candidatorum, eumdemque gradum petentium, sive ex natura honorum, & dignitatum, quas ambiunt; cum enim hæc omnia fragilia sint, sexcenti reditus, totidemque catastrophes vitæ eorum tranquillitatem perturbant.

Vide locos superius memoratos.

Probari etiam potest ambitionem primum excæcare mentem efficiendo, ut aliquid ingrediamur, quod vires nostras, & merita excedat; ita enim efficit, ut nosmet ipsos minime cognoscamus.

Secundo cor nostrum corrumpere, inspirando illi superbiam, & inordinatum nitendi desiderium.

Houdry Biblioth. univers. Tom. postremus.

PRO XVII. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota mente tua, & in tota anima tua. Matth. 22.

I. ARGUM. De Amore Dei.

NEscio Fideles utrum videri debeat admirabilius, videre ne Deum, qui cum solus possit amari ratione meritorum suorum, & inveniat in infinitis perfectionibus suis objectum par magnitudini cordis sui, tamen perdite, ut ita dicam, requirentem amorem hominum; an homines indigentes præcepto, ut Deum diligere teneantur? Primum quidem non minus videtur admirabile, quam si potentissimus Terræ Monarcha offerret regnum suum, thesauros suos, & quidquid ab eo possidetur ad sibi conciliandum amorem novissimi civium suorum; alterum vero prodigium est adeo stupendum, ac si flumina indigerent imperio, ut in mare tenderent, quo feruntur per præruptа naturali studio; vel si ignis egeret mandato, ut sese attolleret, quo tanto impetu ascendit.

Quid igitur? Adeone, Fideles, Deus, & homo mutarunt naturam, atque animi propensionem? Deus, qui centrum est amorum omnium, & qui ideo recipere debet veluti quoddam tributum, suarum creaturarum amorem, egreditur ex se ipso eas quæsiturus; illas urget, atque sollicitat, neque promissionibus, neque minis parcit, ut sibi earum amorem acquirat, & vix invenit animam, quæ vere illum diligat: & homo qui adeo validam in se experitur erga supremum bonum suum propensionem, & studium impressum in penetralibus essentiæ suæ, quod efficit, ut tunc etiam illum perquirat, cum magis ab ipso recedit; homo, inquam, impellendus, & excitandus est ad inquirendam suam felicitatem? Posuit Deus omnem hominum beatitudinem in amore Entis perfectissimi, proponit illi illecebras omnes excogitabiles, adjicit illecebris utilitatem, & cor hominis, quod amore flagrat erga cetera, & adeo facile ignescit ad quælibet objecta, & tanta cum difficultate exuit se naturalibus propensionibus suis, huic resistit, & ferme nescit quid sit Deum diligere? Hic autem est ignis ille, quem Salvator attulit in terram, & quem hodierna die pro vitili parte adnitar, ut in cordibus vestris accendatur.

Ut igitur me ipsum vobiscum ad hunc amorem cieam, modum, & præcipuas mandati hujus caussas a Deo nobis propositas complector: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex omni mente tua, & ex tota anima tua*: Etenim

Matth. 22.

Primo, cum Deus unus sit, unice vult amari, & ex toto corde nostro, sine exceptione, aut divisione. *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo.*

Secundo cum sit summopere perfectus, & infinite omnibus creatis rebus præstantior, diligi expetit ex tota mente nostra, videlicet per amorem prælationis, qui inniti debeat in æstimatione divinarum perfectionum suarum a nobis habenda. *Diliges Dominum tuum ex omni mente tua.*

Tertio denique cum sit æternus, & semper diligi meretur, flagitat amorem animæ nostræ, quæ legibus mortis obnoxia non est, ut illum æterna Caritate prosequamur: *Diliges Dominum tuum ex tota anima tua.* Ita, Fideles, ut in his verbis inveniam easdem amoris nostri erga Deum dimensiones, quas ille ipse servavit in amore, quo dilexit nos, cujus omnes mensuras Apostolus his verbis complexus est: *Ut possitis comprehendere, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum.* Amor illius totam replevit extensionem cordis sui immensi; quoniam totum est caritas, & caritas eadem, & postulat totam cordis nostri extensionem. *Diliges ex toto corde tuo.* Sublimitas, & profundum inde accipitur, quod cum talis sit, qualis est, dignatus est oculos suos in nos conjicere, qui miseræ sumus creaturæ, quin inde bonum aliquod hauriat, & velit, ut amor noster sese super omnia attollat per amorem prælationis, quem Theologi amorem appretiativum appellant, *ex omni mente tua*; & denique cum longitudo amoris erga nos sui, fuerit omnis æternitas, in *Caritate perpetua dilexi te*, vult se perpetuo diligi ab anima immortali per amorem constantem, atque integerrimum: *ex tota anima tua.* Quod erit sermonis argumentum, atque partitio.

ad Ephes. 3.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: AMOR DEI.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota mente tua, & in tota anima tua. Matth. 22.

II. ARGUM. De Amore Dei.

Pro argumento Sermonis desumi possunt illa Sancti Bernardi verba: *Duplicem ob caussam diligendus est Deus; quia nihil justius, & quia nihil diligi fructuosius potest; suo scilicet merito, & nostro commodo.*

Primum Punctum. *Nihil justius.*

Primo quia actus est justitiæ affectionem nostram impendere merentibus illam, & amare quidquid bonum est, atque perfectum. Hic latissimus patet campus disserendi de perfectionibus Dei, quæ sunt objectum dignissimum affectionum nostrarum, unde infetri potest nequissimam esse omnium injustitiarum injustitiam, illi nostram negare dilectionem. Secundo quia Deus habet jus in nostri cordis affectus, quatenus Creator, a quo accepimus esse, & qui illud nobis conservat, & sine quo ne momento quidem possemus subsistere: ubi præcipua recenseri possunt beneficia, quibus ab infinita illius bonitate cumulati sumus, & quorum nullum est, quod totum amorem nostrum non mereatur. Tertio quia ipse prior dilexit nos; nihil enim æquius est, quam diligere eos, a quibus diligimur; & hoc ipsum melius medium est amorem aliorum nobis conciliandi, si alium amore nostro præoccupaverimus. Quinam vero extitit Dei amor erga homines, & singulariter erga nos?

Punctum Alterum. *Quia nihil diligi fructuosius potest.* Ponderari possunt fructus, quos a nostro in Deum amore percipimus. Quamvis hæc ratio cupidior videatur, hoc tamen ipsum efficit, ut sit validissima ad amorem ciendum. Prima igitur utilitas, quam inde percipimus est, quod Caritas universum meritum nostrum constituit, & nostram coram Deo magnitudinem; hæc mensura pretii, in quo sumus apud illum, & amoris, quo nos complectitur, & deinde fons est totius felicitatis nostræ in terra, & in Cælo; quapropter Sanctus Bernardus inquit, Caritatem esse quantitatem animæ nostræ, quæ sit major, vel minor pro ejusdem caritatis mensura. Secundo in hoc sita est sanctitas nostra, & perfectio, ita ut quodcumque nobis aliunde sit privilegium, & meritum, si caritas desit, non sumus amplius Sancti. Tertio mensura caritatis nostræ super terram erit mensura gloriæ nostræ in Cælo. Omnium harum Veritatum probationes facile inveniuntur, & facilius amplificantur, & moralis, quæ inde hauriri debet, pathethica esse debet, & urgens. Conclusio vero hæc erit; Dei amorem esse oportere primam, ac potissimam in hac vita occupationem nostram, ut in beata hac exercitatione in omnem permaneamus æternitatem.

Vide locos eosdem, quos in præcedentibus argumentis.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota mente tua, & in tota anima tua. Matth. 22.

III. ARGUM. De Amore Dei.

Alia sermonis delineatio est ostendere, primo rationes potissimas, propter quas Deum amare debemus; secundo modum, quo est diligendus, quæ duæ erunt partes sermonis.

Prima pars. Caussæ propter quas Deus a nobis est diligendus, continentur in tribus hisce verbis Evangelii, *Diliges Dominum Deum tuum.* Bonum quod est objectum amoris, triplici modo spectari potest, qui tria amoris genera constituunt. Si enim spectetur in se ipso, perfectio vocatur, & exigit amorem justitiæ quem debemus iis omnibus, quæ in semet bona, perfectaque sunt. Si bonum hoc enitescit, ac sese extrinsecus prodit, ita ut placeat, alliciat, atque attrahat, tunc pulcritudo vocatur, quæ non est aliud, nisi bonum, quod placet, invitat, & quodammodo cogit, ut ametur. Si demum hoc bonum sese communicat, & extrinsecus effundit, liberalitas nuncupatur, quæ proficiscitur a benefaciendi studio, & a nobis grati animi dilectionem requirit. Cum autem Deus sit, non tantum bonum, sed bonum solum, inquit Evangelium, neque solum bonum, sed etiam totum bonum, quemadmodum dixit Moysi, est etiam objectum triplicis hujus amoris, justitiæ videlicet, propensionis, & gratitudinis. Esse illius summopere perfectum omnes nostros meretur affectus; hæc notio est, quam de Deo concipimus: *Diliges Deum.* Pulcritudo ejus sibi corda nostra subjicere debet, & captivare; per hanc enim suum constituit imperium, ut inquit Propheta: *Specie tua, & pulcritudine tua &c.* Hoc illud est, quod intelligere possumus per hæc verba: *Diliges Dominum.* Demum infinita illius beneficia merentur omnem gratitudinem nostram, quandoquidem per illa totus est noster, *Deum tuum.* Tres istæ caussæ rite explicatæ non possunt non excitare in nobis Dei caritatem.

Pars altera. Ratio qua Deus nobis est diligendus continetur in eodem præcepto, quod nobis irrogavit Deus, & in Evangelicis verbis: *Diliges ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex tota anima tua.* Illum amare tenemur ex toto corde, ubi explicandum est, quomodo sit intelligendum; similiter quid sit amare ex tota mente, & caussas exponere, quæ inveniuntur apud omnes, qui argumentum hoc pertractarunt; & demum quid sit amare illum ex tota anima, & viribus omnibus, quod non abhorret a Sancti

Sancti Bernardi sententia dicentis, verum modum amandi Deum, esse amare illum sine modo.

Vide locos a nobis in superioribus memoratos.

PRO XVIII. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Ecce offerebant ei Paralyticum jacentem in lecto. Matth. 9.

I. ARGUM. De necessitate, & virtute gratiæ.

CUm fama, & fulgor miraculorum Salvatoris mundi sese in omnem effudisset Judæam, finitimosque locos, non miror, Fideles, Capharnaitas adventus ejusdem admonitos obtulisse illi hunc Paralyticum, de quo sermo est in Evangelio, tamquam idoneum, in quo ille suam exerceret potestatem, quæ conclamatissimis morbis medicinam asserebat. Neque ultra aliquid requirebatur ad ciendam benefici hujus medici miserationem, quem ipsa proclivitas ad benemerendum prona jam impellebat, ut miseris omnibus ferret opem; verum eorum petitio non satis illi probanda visa est; cum enim impensius laborarent, ut huic ægrotanti corporis valetudo redderetur, ipse duxit initium ab animæ ejusdem curatione. *Confide, remittuntur peccata tua.* Ignorabant illi, ipsum nequaquam uti suprema sua potestate, quam in universam acceperat naturam, quatenus homo Deus, nisi ut probaret missionem suam, atque hoc pacto ostenderet Judæis, se verum esse illorum Messiam, ac se in terras venisse, ut salvas potius animas faceret, quam ut corporibus mederetur. *Quid est facilius dicere: remittuntur tibi peccata tua, an dicere: surge, tolle lectum tuum, & ambula.* Matth. 9.

Sed hoc Salvatoris Consilium, nobis hodierna die fit admirabile documentum; aperit quippe nobis maximi momenti veritatem, quæ est, homines omnes propter originale peccatum, & propter peccata sua factos esse totidem paralyticos habita ratione actionum supernaturalium, quæ omnino sunt ad salutem æternam necessariæ; sed omnes indigere gratia hujus Redemptoris, quæ illos excitet, præveniat, eisque tribuat agendi facultatem pro Cælo, atque Æternitate. De hac gratia hoc in sermone verba facturus sum, ostendens, Primo ejus necessitatem, quam omnes habemus; quandoquidem sine illius ope fieri nequit, ut vel unicam bonam cogitationem fovere valeamus, vel minimum elicere salutis nostræ desiderium; verum simul secundo loco ostendam nos omnia posse cum ejusdem gratiæ subsidio, quæ nos efficit omnipotentes, quemadmodum testatur Sanctus Paulus, cum ait se omnia posse per eum qui ipsum confortat, ita ut quemadmodum Apostolus idem declarat

Primo nihil possimus sine gratia, neque proferre valeamus adorabile nomen illius, qui eam nobis promeruit, nisi eadem facultatem hanc nobis concesserit.

Secundo, sed cum eadem gratia nos posse quidquid maximum est, difficillimum, atque celsissimum in ordine supernaturali.

Vide in Bibliotheca Titulum: GRATIA.

Et ecce offerebant ei Paralyticum jacentem in lecto. Matth. 9.

II. ARGUM. De Gratia.

Si opus fuit omnipotenti Manu Dei, ut in ictu oculi curaretur Paralyticus Evangelicus, quisnam partem hanc suscipere poterit reparandæ salutis in hoc Paralytico, videlicet convertendi peccatorem hunc jampridem in vitiis suis languentem, quæ auferunt illi facultatem proferendi pedem Cælum versus, eumque ineptum reddunt producendis bonis operibus ad Cælum sibi promerendum? Nonne, vos quoque fatebimini, gratiam unam esse, quæ effectum hunc gignere valeat in peccatore, qui sine illius ope moveri non potest? Hoc illud est argumentum de quo hodierna die verba facturus sum, ostendens:

Primo officiosos motus, quos facit misericordia Dei, ut saluti peccatoris consulat, scilicet illum suis prævenit gratiis; illum perquirit longissime recedentem; illi aufert spem, atque confidentiam, quam in creatis rebus collocaverat; ut facilius revertatur ad Deum, nullos amplius habens obices, quibus arceatur, & qui illum morentur; & demum, ut delibet dulcedinem servitutis Dei, jam expertus amaritudines, quæ a mundi servitute nequeunt separari.

Secundo fidelitatem, & responsionem, quam afferre debet ex parte sua peccator bonitati, atque misericordiis Dei erga se, videlicet aures non obstruere voci Dei vocantis; Cæli gratiis non resistere; non abuti divina bonitate, illam prætexendo procrastinationibus suis, & interea in vitiis suis perseverando. Denique illi inseparabiliter adhærere per amorem, & gratitudinem. Primum Divina misericordia nos vocat, & invitat, nos urget, ut confugiamus ad eam; vult igitur conversionem nostram, atque salutem. Prima Propositio. Secundo hæc misericordia requirit, ut acti salutis nostræ desiderio ad eam confugiamus; opus est ergo, ut & ipsi velimus conversionem nostram, atque salutem.

Houdry Biblioth. univers. Tom. postremus.

Vide in Bibliotheca Titulum: GRATIA.

Confide, Fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9.

Quantumvis actum esse videatur de peccatore, semper tamen locus est illi admirandi bonitatem Dei erga se, qui licet tot criminum fœditate sordescat, jubetur tamen confidere in illo, & spem habere in ipsius misericordia; modo tamen contrito corde peccata sua fateatur, ad ipsum rediturus. De hoc salutis nostræ reparandæ præsentissimo medio hoc in sermone verba facturus, ostendam Confessionem habendam esse certissimam peccatorum nostrorum medicinam. Pharmaci alicujus agnoscitur bonitas ex tribus indiciis. Primum si agat tuto, Secundo si agat celeriter. Tertio si agat suaviter: Peccatori igitur, & ægrotanti animæ

Primo Sacramentum pœnitentiæ tutum remedium est. Ipse Dei Filius illud instituit, ideoque æque, ac verbum ejus certum est.

Secundo promptum est pharmacum, statim salutem operatur; justificamur ex quo peccata sumus confessi, & absolutionem eorum consecuti sumus.

Tertio æque suavis, atque efficax est medicina; quantumvis nonnullis severa videatur, eique semet ægre subjiciant.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: CONFESSIO.

PRO XIX. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Simile factum est regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo; & misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. Matth. 22.

I. ARGUM. De Gloria æterna.

SAnctus Augustinus docet duas esse mensas, ac duo convivia, ad quæ Dei Filius nos evocat, & invitat quotidie. Primum est convivium Eucharisticum, quod nobis reliquit tamquam pignus amoris sui, & a quo nullam legitimam habere possumus nosmet dispensandi excusationem. Altera est convivium gloriæ, æternæque beatitudinis propter quam creati sumus, nobisque omnia procuravit media, ut ad eam perveniremus. Non fert animus hoc in loco significare vobis rationes, propter quas tenemur ad Eucharisticum hoc convivium accedere: alibi enim argumentum hoc pertractavimus, mens est duntaxat vobis ostendere rationes quibus utitur Deus nos invitaturus ad magnificum gloriæ æternæ convivium; ut liqueat ipsius interesse nos efficere beatos. Igitur loquar hodierna die de hac gloria vobis ostendens

Primum Deum sincere nos salvos fieri velle, sed nequaquam salvaturum invitos, & nolentes.

Secundo Deum nobis largiri media ad nos salvos faciendos necessaria; quæ tamen erunt inutilia nisi illis usi fuerimus, neque proderunt nisi ad justificandam in reprobatione nostra Dei Providentiam.

Tertio re ipsa nos salvos faciet, si fuerimus Fideles gratiis suis, erimusque in numero Prædestinatorum.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: SALUS.

Multi sunt vocati, pauci vero electi. Matth. 22.

II. ARGUM. De Gratia sanctificante.

Non sine caussa hodiernum Evangelium describit hominem, qui in aulam convivii erat ingressus antequam veste nuptiali indueretur; vult enim, ut inde intelligamus miserum hominis statum, qui vacuus est gratia sanctificante, de qua apud vos hodie verba facturus sum, ostendendo

Primo, Gratiam sanctificantem esse spiritualem regenerationem, quod consequi non potest, nisi mortem inferat peccato, per quod re adhuc integra nati sumus iræ filii, & postquam fortasse funestiorem animæ nostræ mortem animæ nostræ insliximus, quam sit corpori mors naturalis, quæ in mundum ingressa non est, nisi per peccatum. Ostendendum est in quo sita sit mors animæ, ac status infelix ad quem per peccatum redigitur anima, & deinceps quomodo gratia eidem pristinum decorem reparet, primum fulgorem, primamque cum Deo similitudinem, illi vitam restituens; & per hoc ostendere quam execrabile sit peccatum, & quam metuendum sit nobis, ne gratiam amittamus &c.

Secundo efficit Gratia, ut vivamus vitam supernaturalem, atque divinam, cujus amplificanda est excellentia per dignitatem, ad quam nos attollit, Filiorum Dei, Fratrum, & membrorum JESU CHRISTI: ubi docendum est quomodo Deus vivat in nobis per illam, & quomodo nos vivere debeamus propter Deum.

Tertio nobis dat jus ad vitam gloriæ, cujus semen est, & nonnisi per illam possidebimus aliquando vitam beatam, atque æternam.

Vide in Bibliotheca Titulum: GRATIÆ SANCTIFICANTIS.

PRO XX. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Domine descende priusquam moriatur filius meus.
Joann. 4.

I. ARGUM. De morte impiorum.

NE miremini Fideles, si hujus Evangelici Principis oratio facta Salvatori Orbis terrarum adeo urgens est, atque sollicita; quippe Pater dolens pro filii sui vita laborat; Princeps dolet abripi sibi nimis immatura, atque præcipiti morte unicum Coronæ suæ præsidium, ditionis hæredem suæ, ac spem subditorum suorum. Ego equidem miror Patrem hunc tunc tandem ad Medicum confugisse, cum Filii vita jam esset conclamata, & morbi vis illum ad extremum usque deduxisset: Scio quidem boni hujus Principis fidem eo esse vividiorem, quandoquidem sperat contra spem ipsam, & aliunde Salvatoris potentiam eo magis emicaturam, eo quod morti eripuerit hoc spolium, quod ex illius manibus elabi non poterat sine hac suprema potestate, quæ toties se mortis victricem ostendit.

Verum cogito hanc ut plurimum esse peccatorum consuetudinem, de Deo tantum in mortis accessu cogitare; velle vitam trahere in peccatis, & metuere, ut in illis moriantur. Etenim nonne videntur plurimi, qui de hac non cogitant actione, ubi agitur de beata, vel misera æternitate tunc solum, cum adventare intelligunt fatale momentum, quo ituri sunt ad reddendam rationem omnium actionum suarum ad tremendum Dei judicium? Profecto si mors semper est terribilis homini, tunc etiam, cum Philosophorum more illam considerat, tamquam excidium essentiæ suæ: Fidelis qui illius cognoscit exitum, & ea, quæ illum consequuntur, debet etiam concipere timorem prorsus alium, contra quem unicam spem habet in divina misericordia, quæ innititur in Christiana vita, quam duxit; & quæ illum valeat confirmare. Illis enim qui inter flagitia vixerunt, in ipsa luce Christianæ Religionis, semper timenda est mala mors, quæ terminus est a Deo constitutus criminibus eorum; ut inde incipiat æterna ipsorum calamitas. De pessima hac insignium peccatorum morte vobis hodierna die verba facturus sum, ut vobis injiciam salutarem metum moriendi in impœnitentia, quæ una mortem efficere potest terribilem; quia una illam efficere potest calamitosam. Ita ut si mors vitæ respondet, ut est in adagio, spero fore ut hodierna die timor malæ mortis efficiat, ut sanctam, piamque vitam ducatis, quæ medium est ad evitandam funestam malæ mortis calamitatem.

Profecto cum mors non sit aliud, quam vitæ finis, atque æternitatis principium, vel si lubet, transitus ab una ad aliam, particeps quodammodo est utriusque extremitatis; sed earum naturam immutat, quoniam in peccatoris tormentum convertit, quod erant deliciæ illius, & in objectum timorum suorum ea, quæ in jocum vertebat, cum viveret; idque duplici intuitu, eoque tristi, qui sunt initium supplicii hujus nocentis; alter quidem rerum præteritarum, alter vero earum, quæ futuræ sunt; ut alterius quidem desideria, alterius vero timores consocientur cum angoribus status præsentis, in quo invenitur.

Primo quidem cogitatio criminum patratorum, & bonorum, quæ sibi relinquenda sunt, eum vexant.

Secundo justus timor judiciorum Dei, & suppliciorum, quæ meritus est, illum terrent. Hæc duo illa sunt, quæ probant Sapientis Oraculum, mortem peccatorum esse pessimam, & plenissimam amaritudine, terrore, ac desperatione. Hæc est Sermonis partitio.

Vide in To. III. cum Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: MORS.

Domine descende priusquam moriatur filius meus.
Joann. 4.

II. ARGUM. Mortis nostræ qualitas pendet a qualitate vitæ.

Verum est mortem semper esse terribilem, & quamvis hæc imago sæpe ob oculos nostros versetur, quamvis hæc sententia scripta sit in marmore, & in aere, quo Regum sepulcra teguntur, quamvis non desint publicæ scholæ in Cæmeteriis, & totidem exempla, quot homines nobis præcesserunt; & tandem mortis principium in nobisinet ipsis geramus, spectaculum hoc nimis est terribile, ut nos valeat circuire, & quæ illud consequuntur tanti momenti sunt, ut nobis gravissimum negotium facessere debeant. Per vos ergo mihi liceat, Fideles, hodierna die vobis ob oculos ponere mortem, & sequi Evangelii hodierni consilium, ad hoc, ut ex morte, quæ est effectus, & pœna peccati, pharmacum eliciam validissimum contra ipsum peccatum. Ut ergo utilis fiat mortis cogitatio, quam Evangelium hodie in memoriam revocat, animadvertendum, si vobis lubet, est cum Tertulliano, unum ex discriminibus, quod constitui potest Christianos inter & Ethnicos, esse, quod apud Ethnicos quidem, ut judicium feratur de bona, vel mala eorum fortuna spectatur primum vitæ eorum momentum, in quo consuluntur astra, ut inde horoscopus eliciatur, & quodnam futurum sit fatum eorum intelligatur; apud Christianos autem, Pater idem ait, non idem accidit: non enim primum vitæ eorum momentum inspiciendum est, sed extremum, quod certissime illos vel beatos in omnem facit æternitatem, vel miseros.

Quibus cum Sancto Augustino, qui sæpe inanem hanc Astrologiæ curiositatem damnavit, addo, ut reciproce judicium feratur, de hoc extremo momento, reliquum etiam vitæ spatium esse considerandum, quandoquidem hæc certissima habetur regula, nisi aliquod accidat miraculum supra communes leges Providentiæ, justitiæque Dei: *Non potest male mori, qui bene vixerit, & vix bene moritur, qui male vixerit.* Et constat ratio; talis enim nexus, & relatio est inter vitam, & mortem, ut si in natura altera motus est, & altera terminus; in morali altera vicissim caussa sit, & effectus alterius. August. de Doctrina Christiana.

Primo vita efficit nostræ mortis qualitatem: namque ad bene moriendum, bene vivendum est.

Secundo dici etiam potest, mortem efficere vitæ nostræ qualitatem; homines enim, vel bene, vel male vivunt, prout mortis cogitatio in mente frequentior est, sive infrequentior. Hæ, Fideles, duæ magnæ sunt veritates, de quibus nobis persuasum esse refert, ideoque erunt partitio; & argumentum hujus sermonis.

Vide eumdem MORTIS *Titulum in Tomo III. Bibliotheca Moral. Evangel.*

Domine descende priusquam moriatur filius meus.
Joann. 4.

III. ARGUM. Defectus fidei in plerisque Christianis.

Semper admirari possumus divinæ Bonitatis effectus, quæ dignatur ærumnarum, & infirmitatum nostrarum misereri. Hodiernum Evangelium satis authenticum nobis exemplum suppeditat in hujus Principis persona, qui non contentus expectasse donec Filius suus in extremis laboraret, ut supplex ad Dei Filium accederet, pro illius vita deprecaturus, voluit etiam ab illius clementia obtinere, ut dignaretur descendere in domum suam ad reparandam unici hujus filii valetudinem, ratus fortasse unicum verbum ex ore Filii Dei profectum non satis esse futurum ad curationem illius procurandam. Recte conjicitis, Christiani, nondum satis perfectam fuisse hujus Principis fidem, quæ tamen tetigit Filium Dei; verum si fidem illius cum fide plurimorum hujus temporis fidelium comparamus, tres potissimum in hac defectus inveniemus, quos impugnandos aggredior in triplici parte hujus sermonis.

Primo alii fidem habent curiosam; scire volunt, quomodo fieri possint ea, quæ Deus revelavit. Omnium rationem flagitant, & sunt ex eorum numero, de quibus loquitur Sanctus Paulus: *languent circa quæstiones.* 1. ad Tim. 6.

Secundo alii fidem habent ignavam, quæ sese declarare non audet, neque profiteri palam, quid sunt, quia hominum judicia reformidant.

Tertio alii denique fidem habent morientem, & semimortuam, sine motu, & sine actione; nunquam, ut decet Christianos, agere videntur, neque Religionis suæ officiis defungi.

Vide in To. II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: FIDES.

PRO XXI. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Servo nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? Matth. 18.

I. ARGUM. De veniæ injuriarum, & amore inimicorum.

DEI Filius Apostolos docens quomodo orandum sit, præcepit illis, ne prætermitterent illa verba: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hodiernum Evangelium terribile rei hujus nobis præbet exemplum in servo nequam, qui omnigenas exercuit crudelitates erga sibi obæratum, quamvis herus suus usus fuisset misericordia in ipsum, quod locum mihi præbet asserendi, sicuti Deus misericors est erga illos, qui parcunt aliis, ita severum esse in eos, qui ulciscuntur, & nihil condonare, ac dimittere volunt. Quamobrem fert animus hodierna die vobis ostendere

Pri-

Primo, ut parcamus inimicis nostris, debere nosmet componere secundum veniam quam nobis concessit Deus propter scelera, quæ contra divinam illius Majestatem patravimus. Magna nobis ille peccata dimisit, idque multoties; quod innuunt decem millia talenta, quæ Pater-familias servo nequam dimisit; denique pepercit nobis licet indignis ipsius Misericordia; Hæc est regula, & exemplar, quod sequi debemus.

Secundo pro peccatis, quæ in posterum patrabimus, Deus ipse semet componit ad normam illius veniæ, quam vel concesserimus, vel negaverimus illis, a quibus læsi fuerimus.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: AMOR INIMICORUM.

Serve nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?
Matth. 18.

II. ARGUM. De injuriarum venia.

Dubitari non potest, quominus Dei præceptum de inimicorum dilectione sit difficile, molestum, & prorsus oppositum sensibus naturæ; verum quin immorer ostensurus illius æquitatem, & necessitatem, & quomodo Salvator ipse prior semet ipsum subjecerit Legi a se latæ, & quin tempus teram omnibus afferendis considerationibus, quæ illud lenire possunt, & quæ erunt alterius sermonis argumentum, hodierna die solum vobis ostendere cupio Sapientiam, supremique Legislatoris hujus potestatem.

Primo elucet Sapientia, irrogat enim præceptum se dignum, hoc est perfectissimum; quippe ostendere vult, quantum lex Evangelica præstet antiquæ. *Audistis, quia dictum est antiquis &c.* Matth. 5.

Secundo elucet ejus potentia, jubens hoc præceptum omnino servari debere proposita pœnarum omnium maxima; quandoquidem hac una tantum conditione posita, voluit ipse etiam hominibus veniam peccatorum concedere. *Sic & Pater meus faciet vobis, si non remiseritis unusquisque in cordibus vestris.* Quæ erit Sermonis hujus partitio.

Vide in Bibliotheca Titulum. AMOR INIMICORUM.

Redde quod debes. Matth. 19.

III. ARGUM. De obligatione æs alienum dissolvendi.

Equum est, Fideles, æs alienum dissolvere, & sicuti primum justitiæ officium est reddere unicuique suum; ita creditorem fraudare bono, quod bona fide mutuum dedit, apertissima est injustitia, quæ lumini rationis opposita est, & quam Leges passim improbant, & populi perhorrescunt. Verum bona etiam fide confitendum est, si alieno ære adstricti jus æquissimum, atque sacerrimum violant, cum fruntur eos, quibus debent, alia ex parte, illos, qui mutuo dederunt, non minus esse nocentes, cum sibi obæratos sumptibus conficiunt, & ad extrema quæque adigunt, neque patiuntur verba sibi fieri de mutui dilatione, remissione, aut alia quapiam compositione, quamvis non lateat, creditores non esse pares solvendo.

Quapropter si Evangelicus servus se se constituisset, intra terminos exigendi æris sui per vias lenitatis, neque jus suum vitiasset immiti severitate, qua abusus est, ut credita sibi pecunia persolveretur; Dei Filius non proposuisset illum tamquam exemplum divinæ justitiæ in eos, qui nulla utuntur misericordia in sibi obæratos; & servus iste nequam non didicisset sumptibus suis; si justitia postulat, ut satisfiat creditoribus, caritatem vicissim exigere, ne creditor nimis urgeat debentem sibi; quippe justitia nimis severa plerumque in sævitiam degenerat.

Itaque in ære alieno, quod homines sæpe contrahere coguntur, duæ virtutes regere, & moderari debent istud commercium, quo vita civilis alitur, & sine quo Civitates, atque Respublicæ subsistere nequeunt. Duæ virtutes hæ sunt Justitia, & Caritas.

Primo, Justitia potissimum respicit mutuatarium, qui tamquam debitor præstituto tempore se constatum æs alienum dissoluturum esse pollicetur. Hoc æquissimum est, & in parte priori ad examen vocabitur.

Secundo, Caritas respicit mutuum dantem; & quemadmodum creditor habet jus exigendi, quæ sibi debentur, necessaria huic utendum est mediocritate, sine qua sibi constat odium Dei simul, & hominum. Hoc in parte altera videbimus. Argumentum Practicum, Auditores, de quo bona fide erudiendi sumus. Et hæc erit tota sermonis hujus partitio.

De hoc argumento habetur sermo in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulo: FURIUM.

PRO XXII. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22.

I. ARGUM. Quomodo vitæ civilis officia conciliandæ sint cum officiis Religionis.

NUNQUAM dubitatum fuit, Fideles, quo minus essentiale munus, primusque justitiæ effectus fuerit unicuique reddere, quod suum est; jus enim quod hæc virtus respicit tamquam unicum objectum suum, innititur tamquam fundamento rectæ rationi, contra quam operari nemini licet. Secundum ergo principium hoc, in omnibus contentionibus, & litibus, quæ inter homines oboriri possunt, supponitur, semper caussam illi esse adjudicandam, pro quo pugnat jus turius, & diligentiori inquirendum indagine, ad quem hoc pertineat jus. Ecce igitur fideles quædam controversiæ species, cui locum dedere verba nostri Evangelii præcipientis, ut Cæsari reddantur, quæ Cæsaris sunt, & quæ Dei, Deo. Quid autem sibi velit hoc Cæsaris nomen, jam tenetis; Mundum videlicet significari, & homines, qui illum componunt, & cum quibus commercii, & societatis fœdere sumus conjuncti. Hic autem Mundus, locus, quem ibi tenemus, munus, quod sumus ingressi, quædam a nobis exigunt officia, alia quidem justitiæ, alia vero Caritatis, & urbanitatis, a quibus minime nos dispensare possumus, quin nuntium mittamus humanæ societati, & quin ex numero viventium expungi velimus. Ceterum Deus tamquam supremus Mundi hujus, omniumque creatarum rerum Dominus sua habet jura, quæ supremum applicare possunt dominium, cui alia quælibet cedere debent, ita ut Leges quas tulit, & hominibus irrogavit, semper habendæ sint tamquam primi Canones officiorum nostrorum. Hinc igitur maximi momenti, si quæ fuit unquam, suboritur quæstio; agitur enim de iis, quæ Mundo concedere possumus, quin Dei adversemur imperiis, qui palam vetuit, ne Mundi placita sequamur, & quæritur quousque nostra hac in re extendere debeamus officia; unde exorta est controversia, utrum aliud quodlibet jus, vel aliud negotium valeat aliquo pacto mentem, animumque nostrum partiri inter ea, quæ Deo, & hominibus debemus.

Sed hæc quæstio dirempta hodierna die est ab eo, qui eadem est Veritas; statuit enim Cæsari esse reddenda, quæ Cæsaris sunt. Cum vero adjicit Deo quoque reddenda quæ Dei sunt, id intelligendum est in hoc sensu, cum videlicet jus Cæsaris non adversatur juri Divino, & cum Mundi placita divinis legibus non opponuntur; & cum quod utrique debetur Domino, nihil absurdum involvit. Avertat Deus, Deum, & hominem simul conciliare in iis, quæ sunt contraria; sed meus est auferendi vobis errorem, qui periculosos habere potest exitus; scilicet officia inhærentia statibus, quos in Mundo Providentia constituit ad civium societatem fovendam cum Religionis officiis conciliari non posse; tantum enim abest, professionem Christianismi adversari Religioni, ut nobis suggerat rationes, & modos iisdem perfectissime perfungendi. Si ergo ex me hodierna die quæsieritis

Primo, utrum Fidelis conciliare valeat suæ Religionis officia cum Mundi officiis, videlicet utrum esse possit simul, & honestus, & Christianus; utrum satisfacere possit muneribus status, in quo illum Providentia constituit, & illis Christianismi quem profitetur, quod vocatur reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris reddendo simul Deo, quæ Dei sunt; respondeo & hoc fieri posse, & debere, cujus probationes in prima sermonis hujus parte videbimus.

Secunsto discemus, quomodo Christianus virtute præditus, & vir honestus in professione sua sit honori Religioni suæ per diversorum officiorum suorum convenientiam.

Vide In Tomo IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: VOCATIONIS, *ubi sermo est de Status officiis.*

Abeuntes Pharisæi concilium inierunt, ut capterent JESUM *in sermone.* Matth. 22.

II. ARGUM. De bona fide, ac sinceritate.

Pharisæorum consilium erat captiosa interrogatione fallere Dei Filium, ut quidquid responderet, per odium, & invidiam caussam nanciscerentur illum criminandi, sive illos Cæsaris tributo subjiceret, sive illos hac necessitate solvendi liberaret. Sed quam brevis est contra Dei sapientiam humana versutia! Illi ceciderunt in laqueum, quem paraverant, & in ipsorum cessit confusionem consilium quod fuerant præmeditati, ut fallaci zelo suo, & vero odio, quo agebantur, prætexerent. Cum enim Pharisæi nequaquam bona agerent fide; Salvator non solum os illis obstruit responsione sua, verum etiam illis ostendit se scrutatum fuisse pravam eorum intentionem, detexisse fraudem, & aperuisse consilium, quod inierat illius criminandi, quasi egisset contra supremum jus imperantis, vel contra nationis libertatem. Contra calli-

dita-

ditatem, ac dissimulationem opposita incedit via, illos erudiens de duobus præcipuis, & maxime necessariis officiis, quæ sunt, uti sinceritate cum Deo, simul & hominibus.

Hoc mihi locum præbet differendi apud vos de argumento saris infrequenti, licet fortasse nullum hoc sit utilius, vel usitatius; quandoquidem in hoc tota innititur civilis societas, & hominum versatur commercium; & denique sita est pax, unio, atque concordia inter homines. Videtis me loqui velle de bona fide, & sinceritate, de cordis rectitudine, cum qua in omni negotiorum genere agendum est, procul ab astu, dolo, simulatione, & mala fide, quæ sunt æque opposita Spiritui Christianismi, & humanæ societati: quod evincit, quomodo officia, & obligationes Religionis nostræ sint naturali æquitati conformia; quandoquidem alia everti nequeant, nisi simul & alia evertantur. Propter hoc satis novum argumentum, & propter hoc perutile moralis punctum, cujus praxis est locorum omnium, temporum, conditionum, & negotiorum, vobis exponere volo quænam fuerit impeditissima, & captiosa quæstio, per quam Pharisæi crediderunt se coegisse Filium Dei, ut se se vel contra Legis suæ libertatem, vel contra Cæsaris auctoritatem declararet. Mala eorum fides erat manifesta, non enim aliud quærebant, nisi illius perdendi occasionem, insimulantes illum vel impietatis, vel rebellionis, quorum alterutrum morte erat puniendum. Sed sapiens Salvatoris responsio, reddendum videlicet esse Cæsari, quod Cæsaris erat, & Deo, quod erat Dei; locum mihi præbet ostendendi, astum, & calliditatem violare simul jura divina, & humana, & æque displicere Deo, & hominibus, quantum eisdem placet bona fides, atque sinceritas, quæ illorum sibi corda captivare consueverunt: verbo, quin teram tempus præparans animos vestros argumento, cujus in partem accedere debent omnia personarum genera cujuscumque status, & conditionis illa sint, dico secretum, & infallibile medium simul sibi Dei, hominumque amicitiam promerendi, esse agere sincere, & bona fide in omnibus consiliis, cœptis, & negotiis; secretum admirabile, atque certissimum, quod & vos etiam spero probaturos esse, ubi ostendero,

Primo, hominem, cui cor est rectum, & quod bona fide operatur, semper sibi captivare cor Dei, qui ipsa est veritas essentialis, & inflexibilis rectitudo.

Secundo hanc rectitudinem, atque sinceritatem ipsis etiam hominibus placere, quantum oderunt calliditatem, atque versutiam. Itaque cum pertractari nequeat morale argumentum, quod majorem afferat omnibus, & singulis utilitatem; quæso ut me dicentem attentius audiatis.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum; HUMANA PRUDENTIA.

Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum. Matth. 22.

III. ARGUM. De adulatione.

Si judicium ferendum esset, Christicolæ, de actionibus Filii Dei ex sola specie; profecto locus esset admirationi, Pharisæos adeo male receptos fuisse, cum ad illum confugerunt verbis reverentia plenis, atque officiosis. Quod enim majus præbere illi poterant æstimationis suæ specimen, cum nondum certi essent ipsum esse Messiam, quam mittendo ad illum quosdam ex Discipulis suis sub urbanæ Visitationis specie quæsitum, idque honestissimis verbis; quis esset? Hoc vere quidem tanta peregerunt industria, ut nullum ipsis exciderit verbum, aut signum, quod suspicionem ingerere posset voluntatis eum decipiendi.

Ordiuntur illi a laudibus qualibet suspicione carentibus, se audivisse de illius meritis fieri verba, exploratam esse sibi opinionem, quam omnes boni de illo imbiberunt, & in qualibet occasione cognitam fuisse hominis sinceritatem ab omni adulatione semotam, & alienam ab omnibus humanis rationibus, propter quas plurimi produnt veritatem accommodantes sensus suos personarum arbitrio, quæ habentur in pretio. Illi tandem testantur rumorem, quod de tot, tantisque meritis percrebuerat, & asserunt, tot præstantissimarum qualitatum congeriem sibi locum aperire, ab ipso percontandi, utrum in perfecta cognitione, de qua non dubitabant ab illo obtineri Legis suæ, & libertatis, sibi a Deo concessæ, liceret, nec ne tuta conscientia tributum Cæsari persolvere.

JESU CHRISTI responsum illis os obstruit, effecitque, ut intelligerent eum, quem fallere cupiebant, eamdem esse Sapientiam, quæ abditissimas cordis eorum latebras scrutabatur. Sciebas Verbum æternum, & ignorare non poteras, laudes has, quibus te cumulabant, e bona fide nequaquam proficisci, neque elogia tibi delata respiciebas nisi tamquam assentationes, & dissimulationem, quæ celabat improbam mentem blandorum verborum involucro; & ut verbo me expediam, cum esses Veritas eadem adulationem sustinere non poteras, atque ut indigitares quantopere illam perhorresceres, adulatores hujusmodi hypocritas, & versutos vocasti, quibus non erat alia mens, nisi tibi insidias nectendi, & nanciscendi locum perdendi te, si illis licuisset.

Hoc, Fideles, me admonuit, ut vobis aperirem periculosos laqueos, quos tendit assentatio, & apud vos verba facerem de vitio, quod omnes improbant, & fere omnes patiuntur; vitio adeo odioso, undequaque spectetur, sive in iis, quibus placet adulatio, sive in illis, qui aliis adulantur, ita ut pariat indignationem Filii Dei, qui licet suavissimus esset etiam cum nequissimis peccatoribus; assentatores sustinere non poterit, quin rationem illorum execraretur, tamquam eorum, qui se amicos simulant, vel potius eorum, qui cum apertissimi sint humanæ societatis inimici, pares sunt vitiis omnibus probandis, atque virtutibus corrumpendis. Hodierna autem die vitium hoc vobis exhibere volo sub duplici ratione, quæ ex æquo, & Deo odiosa est, atque hominibus.

Primo habita ratione eorum, qui ab adulatoribus sibi verba dari permittunt.

Deinde eorum, qui adulantur. Amare blanda adulantium verba, est fidem habere fallacibus amicis, qui nos produnt excusantes vitia nostra, corrumpentes virtutes, si quæ nobis insunt, fictis laudibus, quibus nos cumulant, & nos in vitium impellentes per plausus, quos singulis actionibus nostris impertiunt. Adulationibus uti, est fieri fallaces amicos, ignavos, cupidos, versutos, & infideles erga illos, qui in nobis confidunt; quare videbitis periculum nosmet corrumpendi, dum nostra vitia palpantibus adhibemus aures; & crimen, cujus nocentes sumus, cum aliorum criminibus adulamur. Admitamur ergo Fideles nosmet præmunire contra vitium, quod adeo facile suscipitur, & tantum infert bonis moribus detrimentum; & simul ex Mundo auferemus pleraque vitia; Deinde vero horreamus, aliis venenum hoc propinare, & nos excidii eorum nocentes efficere, participes eorumdem criminum effecti. Hæ duæ partes erunt Sermonis,

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: ADULATIO.

Cujus est imago hæc, & superscriptio? Matth. 22.

IV. ARGUM. De animæ nostræ Excellentia pretio, & cura a nobis gerenda.

Pro textu assumentes hæc verba, tres quæstiones possumus instituere, vel hisce verbis tres sensus appingere, qui æquam Sermonis partitionem possunt efficere.

Primus sensus, vel prima interrogatio: *Cujus est imago hæc?* Vel quem hæc imago repræsentat? Cujus exhibet vultum, & vultus lineamenta? Dei refert imaginem perfectam, absolutamque; ubi ostendendum est, quandoquidem adeo eximium repræsentet archetypum, non posse repræsentare quidquam nisi magnum. Deinde explicandum est, qua in re illum repræsentet, in natura videlicet, operationibus, libertate, duratione: vel ostendendum est, quomodo tres animæ facultates vere sint imago Entis hujus infiniti, intelligentis, omnipotentis &c. Et inde inferendum est, quemadmodum ipsa est perfecta naturæ ejus imago, ita debere illum exprimere in moribus, & Sanctitate, quæ novissima sunt lineamenta, quæ illi adjicere debet, & ideo Deus ipsam creavit.

Altera interrogatio: *Cujus est imago hæc?* Videlicet, Quis ejus est auctor? veluti cum eximium intuemur picturam, tabulamque excellentem, interrogare consuevimus, cujus Pictoris opus sit? Quinam extiterit eximii hujus operis auctor? Tunc vero respondebitur; Deum hanc animam creasse, eamque finxisse ad imaginem, & similitudinem suam: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Hinc liquet illam spiritualem esse toto cælo nobiliorem anima ceterorum animantium; mox ab eodem Deo reformatam per gratiam, quæ illi tribuit prorsus alium pulcritudinis gradum ab eo, quem illi contulerunt omnes naturæ perfectiones. Ex quibus inferendum est, quam diligentissime præcavendum esse, ne iterum per peccatum coinquinetur &c.

Tertia interrogatio: *Cujus est imago hæc?* Ad quem pertinet? Quinam est Dominus ejus? Cui jus est disponendi de illa? Facilis patet responsio; Dominum ejus esse illum, a quo creata fuit, & a quo propter semet ipsum creata fuit, ad gloriam suam, atque ut sibi famularetur; tamquam opifex, qui perficit opus suum, ac illud sibi in usum, atque fines suos reservat. Hinc sequitur, non posse nos alteri cuipiam nosmet mancipare; cum anima nostra propter Deum facta sit, nihil eamdem præter unum Deum explere posse; ipsumque Deum rationem animæ nostræ, tamquam boni sui, expetituram.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum; ANIMA RATIONALIS.

PRO XXIII. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Recedite, non est mortua puella, sed dormit. Matth. 9.

I. ARGUM. De morte Justorum.

NON ita, fideles; Justorum mors proprie mortis vocabulo non est appellanda, potius dicenda est suavis somnus, in quo anima a corporeis vinculis expedita, & immunis ab omnibus vitæ curis, & sollicitudinibus æterna fruitur felicitate. Hic est familiaris Spiritus sancti sermo, sive loquatur de priscis Patriarchis, sive de Justis, qui in lege nova vixerunt; ita scriptum est de Sancto Stephano Protomartyre: *& cum hoc dixisset, obdormivit in Domino*: & ita Mundi Salvator loquitur in Evangelio nostro de puella hac, quæ animam efflaverat in oculis consanguineorum suorum: *Non est mortua puella, sed dormit.* Si rationem quæritis, hæc est; quod sicuti per somnum sensus sopiuntur, eorumque officia inofficiosa manent ad tempus; & postquam e somno evigilavimus, videmus, loquimur, audimus, & non secus ac antea operamur; similiter in Justorum obitu, quamvis illorum corpora vita, motuque careant, quamvis sensus non amplius suo munere perfungantur; hic tamen status non semper sit permansurus, tempus enim erit, cum ex profundo hoc somno evigilantes assurgent de tumulis suis, tamquam de lectulo quietis suæ recepturi vires, virtutemque suam, & libertatem actionum suarum, quæ per diuturnum Mortis hujus somnum potius erunt separatæ, quam perditæ.

Act. 6.

Verum animadvertendum est hoc discriminis interesse inter Justos, qui hanc vitam respiciunt tamquam transitum ad æternitatem, & impios, qui vivunt, quasi nunquam essent moriturí; primorum vitam in Scripturis vigiliam nuncupari, mortem vero somnum, cum e contra vita aliorum somnus sit animæ, quæ in corpore sepulta est, tamquam in tumulo, vel potius somnium, ubi non nisi fallacia videntur objecta, & phantasmata inania rerum mundanarum; sed expergisci incipiunt in morte, nunquam in altera vita requiem delibaturi. Ut autem mors Justorum nos excitet ad vigilandum, ac ad nosmet ad bene moriendum præparandos, fert animus hodierna die vobis repræsentare felicitatem, privilegia, ac suavitatem sub dulcissimi soporis imagine, quam nobis suggerit Evangelium. Quod ut plenissime probetur, animadverto tria potissimum esse, quæ somnum concomitantur.

Primo est requies, & cessatio a labore, quandoquidem ideo natura morti subjecit vi suavi, quam nobis infert, cui ægre resistimus.

Secundo est securitas; si enim timor, aut sollicitudo admisceatur, illam perturbat, atque interrumpit; quamobrem vulgo dicimus hominem securum quiescere, cum illum alto demersurum somno in aurem utramque stertere videmus.

Tertio denique est oblectatio, quæ proculdubio una est ex vitæ hujus suavissimis oblectationibus, quæ tria triplici verbo Sapiens complexus est: *Si dormieris, non timebis, quiesces, & suavis erit somnus tuus*; quæ Sanctus Bernardus suo jure transfert ad mortem Sanctorum, cum ait, illam tribus rebus fieri suavem, & jucundam.

Prov. 3.

Epist. 107. ad Roman. Subd.

Fit tibi, inquit, *quies a labore, securitas de æternitate, jucunditas de novitate.* Ibi inveniunt justi finem omnium laborum, salutis securitatem, & denique gaudium, quod illis parit novus hic status, in quo vident se summi boni possessionem adeptos.

Vide in Tom. III. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: MORS.

Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit; & deridebant JESUM. Matth. 9.

II. ARGUM. De derisione.

Nomen quod commune caussæ est, & effectui, relatio, quæ intercedit inter genus, & speciem, similitudo, quam moralis semper animadvertit inter mala, quæ utrumque subsequuntur, satis ostendunt nequaquam vim fieri, vel sensui, vel verbis Spiritus sancti; cum dicimus homines in errore versari, ubi de irrisione sermo est; & malignum hoc, & sæpe crudele, impiumque gaudium, quo oblectantur indiscriminatim de omni argumentorum, omnique personarum genere, jocantes unum esse vitiorum, quæ in laude sunt, & quæ tamquam naturæ quædam festivitas esse putatur; sed quod reipsa maxime humanæ societati, caritati christianæ, & bonis moribus officit.

Stupor dubio procul vobis incedit Fidelibus hanc audientibus propositionem; & fortasse illam respicitis tamquam paradoxum, quod indigeat explicatione; sed spero me vobis probaturum hanc veritatem esse constantem, ubi ostendero, homines vulgo, cum de irrisione sermo est in duplici errore versari, quem illis in duplici Sermonis mei parte auferre conabor.

Prior respicit habitum, & propensionem, qua ad irridendum ferimur; hoc, inquiunt, argumentum est festivi ingenii, & indolis hilaris, lepidæque; ideoque talentum est, prærogativa, & naturæ donum, quod aliis quidem placet; alii vero plurimi faciunt. Primus hic error est; quandoquidem irrisio est ex numero earum rerum, quæ in malum potius, quam in bonum cedunt, & quæ ut plurimum sunt vitium, quod Fidelis corrigere debet summo studio, & in quo multa præcavenda sunt, ut in æqtiorem partem excipiatur.

Error alter, in quo sunt alii, ubi de irrisione sermo est, est quod illam respiciunt ad summum tamquam levissimam noxam, & levis momenti, & quæ facillime excusatur. Ego vero illis ostendam, effectus illius sæpe molestissimos esse, atque funestissimos; ideoque crudelem, & perniciosam hanc voluptatem esse criminosiorem opinione. Vitium hoc fere loco virtutis accipitur, qui primus error est in hoc argumento, accipitur peccatum grave, pro reverentiæ, vel Caritatis defectu, qui alter est error.

Vide in Bibliotheca Titulum: DETRACTIONIS, *ubi etiam de* IRRISIONE *sermo est, qua illius est species.*

Confide Filia, Fides tua te salvam fecit. Matth. 9.

III. ARGUM. De confidentia in Deo.

Hodiernum Evangelium absolutissimum nobis proponit exemplum Confidentiæ, quam habere debemus in Deo. Mulier est hæmorrhagia laborans duodecim annos continenter, quæ certe credit se curatum iri, dummodo valeat tantum retro Filii Dei fimbriam vestimentorum attingere. Ex hoc exemplo duas haurio propositiones, quæ nos ad hanc virtutem possunt excitare.

Prima est, non posse nos Deo majorem amorem testari, quam in eo omnem confidentiam statuere, quemadmodum amico majorem testari dilectionem, quam cum in illo confidimus. Hinc ostendimus a nobis pluris fieri Deum hunc bonitatis, & nos in fide illius conquiescere; illi cor nostrum aperimus, & in manibus ejus omnia, quæ ad nos pertinent, collocamus. Nunquam dubitatum est, quominus confidentia primum sit, certissimumque perfectæ, sinceræque amicitiæ argumentum.

Altera est, tunc quoque Deum vicissim nobis majorem testari amorem; nihil enim negat petentibus aliquid cum perfecta confidentia. Illos protegit, ac tuetur in omnibus, & contra omnes, & peculiarem illis suscipit curam. Confidentia hæc certissimum est signum, quod habere possit anima, se a Deo peculiari amore diligi.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: CONFIDENTIA.

PRO XXIV. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Cum videritis abominationem desolationis, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Matth. 24.

I. ARGUM. De peccato mortali.

NUNQUAM, Christiani, Patres, atque Interpretes in varias abiere sententias, quam hodierni Evangelii sensum explicaturi. Etenim quænam est, amabo vos, hæc abominatio, quam Dei Filius constituit signum funestissimæ desolationis, quam portendit futuram? & quænam esse potest hæc desolatio, de qua nos admonet, tamquam malo contra quod hominibus sibi diligentissime præcavendum est? In hoc sermone, quem habuit Salvator apud Judæos de duabus terribilibus calamitatibus verba fiunt, quarum utraque tetetrimis coloribus exhibentur; quarum altera est peculiaris, videlicet integrum totius Jerosolymæ excidium; generalis altera, nempe videlicet universalis Mundi totius clades in sæculorum fine futura, & quæritur quænam futura sit hæc abominatio, quæ utramque est præcessura? Sed quamcumque sententiam in hac varietate amplectamur, verba hæc idem documentum complecti mihi videntur.

Sed per vos mihi liceat iisdem verbis uti, quibus tam variæ effictæ fuerunt explicationes, ut admoneremini de malo, quod propius ad vos pertinet, & de ea desolatione, cujus potissima pars ad vos spectat, quandoquidem nobisnet ipsis peragitur. Liceat igitur ex mysticis hisce verbis haurire doctrinam prorsus moralem, vobis ostendendo:

Primo hanc abominationem esse peccatum mortale, quo polluitur anima, qui locus est sanctus, cujus Deus possessionem adierat per Baptismi consecrationem. *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto.* Hoc gignit in Dei corde horrorem, & indignationem, & excessum odii, quod dicitur abominatio. Matth. 24.

Secundo abominationem hanc parere admirabilem desolationem animæ, quæ illam commisit; quandoquidem pecca-

peccatum illam omnibus privat bonis, quæ illius gloriam, & felicitatem constituebant. Duplici verbo, in novissimo hoc sermone vobis exhibere volo horrorem, & abominationem, quam Deus concipit de peccato, ut vobisinet horroreni injiciam, & mox adnitar efficere, ut reformidetis desolationem, quam parit in anima, illud committente.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Mor. Evangel. Titulum: PECCATUM MORTALE.

Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto. Matth. 24.

II. ARGUM. De Scandalo.

Ex omnibus interpretationibus quæ afferuntur de hac abominatione desolationis, nulla mihi magis arridet ea, quæ ad scandalum pertinet; verum ut illius vobis explicem originem, & effectus, Theologi post Aquinatem definiunt illud, actionem, quæ propter aliorum quidem ignorantiam, aliorum vero imbecillitatem, potest per se illos excitare ad peccatum, faciliorem illis efficiens ejusdem executionem; iisque auferens formidinem per exemplum, quod tribuit.

Hinc videtis, hoc non tantum esse particulare peccatum ab aliis distinctum, quantum circumstantiam, quæ aggravat omne peccati genus, quod ut scandalum sit, necessario patrandum est aliis inspectantibus, & transire debet ad aliorum cognitionem, ut ex natura sua possit alios in malum inducere. Hinc etiam scandali nomen mutuatum est, perinde ac diceres secundum notionem, quam nobis tribuit Scriptura, lapidem, qui secus publicam viam ponitur, ut in illum incidentes per incu-
ad Rom. 9. riam, qui præterevunt, corruant. *Petra scandali, lapis offensionis.*

Primo quodnam malum in Mundo faciat Auctor scandali. Malum faciens, docet illud; se se erigit in Doctorem, & magistrum iniquitatis, palam actionibus suis, & efficientius docens, quam si verbis doceret. Testator est adducens in peccatum, minister, vicarius, & organum dæmonis ad homines perdendos. Delet quodammodo turpitudinem, & infamiam peccati, ac præstat, ut citra verecundiam, & palam peccetur. Secundo quam pœnam plerumque sumat Deus de illis, qui reliquis sunt offensioni, & quæ ad tria refertur.

Primo est, mors turpis, & infamis, uti videmus in
Nahum 3. Scripturis. *Foram te in exemplum*, dicit Deus; Dabo in te memorabile exemplum omni posteritati.

Secundo, signum est fere certissimum reprobationis, cum enim tot perdiderit animas, æquissima pœna est, ipsum socium fieri earumdem supplicii.

Tertio, in Scandali auctorem altera in vita severius animadvertitur, data ratione multitudinis eorum, quorum peperit excidium, & damnationem.

Vide in Tomo IV. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: SCANDALI.

Assumi etiam potest in hoc Scandali argumento simplex hæc, & communis divisio, quæ tamen complectitur quidquid dici potest.

Primo, injuria, quam Deo facit, cujus gloriam evertit; adversatur consilio, quod habet homines salvos faciendi, & inutilem reddit illis, quorum parit interitum, Incarnationem, Mortem, Passionem, & merita Filii sui.

Secundo, injuria, quam facit proximo perdendo animam ejus, & illius damnationem procurando, quod maximum, & novissimum est omnium malorum.

Tertio, injuria, & calamitas, quam sibi conflat Auctor Scandali, onerans semet omnibus peccatis, quæ facit, ut alii committant, & se eum adducens in locum, ubi nequeat reparare malum, quod peperit.

Vide locum quem supra.

Videbunt filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa, & Majestate. Matth. 24.

III. ARGUM. De extremo, & generali Judicio.

Desumi potest pro argumento, & partitione Sermonis 1. Necessitas universalis Judicii, quod primum erit punctum. 2. Modus, quo fiet, quod erit alterum; ut inde inferamus cogitationem, & metum, quem inde concepturi sumus, efficere debere, ut ita vitam instituamus, ut sit sperandi locus nos ex hoc judicio æquiorem sententiam relaturos.

Punctum primum probari potest: 1. propter eamdem rationem, propter quam Deus est: hic enim Deus esse debet Justus, ac punire scelera; quod arguere non possemus nisi instituendum sit generale Judicium; quandoquidem gravissima crimina sæpius in hac vita, neque puniuntur, neque cognoscuntur; Divinæ igitur interest Justitiæ facere, ut in altera vita cognoscantur, quod fiet in novissimo Judicio, in quo omnia palam fient. 2. Ut Divina probetur Providentia erga bonos, & malos. Alii persecutionem passi sunt, & oppressi fuerunt; alii vixerunt in pace, beatamque vitam duxerunt in oculis hominum; oportet igitur, ut Deus quodammodo rationem reddat adeo inæqualis agendi modi, & ea auferat integumenta, quibus hodie nos celat ea, quæ habuit de hominibus Consilia. 3. Ut extorqueat ex omnium ore confessionem æquitatis Judicii sui, ac sententiæ, quam proferet contra reprobos, ostendens in ipsis positum fuisse, sibi æternam comparare felicitatem.

Punctum alterum. Ostendendum est, Judicium hoc instituendum esse alio prorsus pacto, quo inter homines fieri consuevit. 1. Non erit opus longis perquisitionibus, quæstionibusque, quod accidit in humana Justitia: etenim in ictu oculi omnia, & singula peccata nostra apparebunt, testes recusari non poterunt, probationes erunt invictæ; conscientia nostra contra nos testis erit; & creata omnia, contra nos in hoc Judicio testabuntur. 2. Rei neque poterunt Judicis integritatem flectere, neque justam scelerum suorum damnationem evitare, neque celerem sententiæ, quæ fertur, executionem morari, quod sæpe in hominum Judiciis usuvenit.

Aliter efferri potest hoc argumentum.

Ostendi potest, 1. in hoc terribili Judicio, Fidelem a se ipso accusatum iri, videlicet ab ipsa conscientia sua, quæ contra ipsum testabitur. 2. Judicatum iri a Sanctis, quorum virtutes, bona opera, & optima exempla totidem fuerunt exemplaria, secundum quæ vitam suam debebat componere. 3. Damnatum iri a JESU CHRISTO eodem, qui fuit illius Salvator, atque Redemptor.

Aliter idem tractari potest argumentum.

Duo potissimum, quæ perterrefaciebant Regem Prophetam, terrorem peccatoribus incutient in Judicio novissimo. *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ; non est pax oculis meis a facie peccatorum meorum*: Primum est ira Dei, quæ quam terribilis sit, est ostendendum. Alterum vero intuitus peccatorum nostrorum, quæ iram hanc inflammabunt, & quæ ex hoc ipso tempore efficere debent, ut gravissimos eorum effectus reformidemus.

Alia ratio hujus argumenti pertractandi.

Duo personarum genera amittunt terribilis hujus Judicii cogitationem. Primi illi sunt, qui non credunt illud; secundi, qui illud non metuunt, quamvis nullam habeant caussam de illo dubitandi; ubi ostendendum est

Primo periculosissimam esse insaniam non credendi hoc Judicium; & Atheum esse qui hoc procedit, ut non credat Deo, neque Evangelio, neque Sacris Scripturis.

Secundo funestissimam esse stupiditatem illud non timere, & argumentum, fore ut aliquando, qui non reformidaverit, condemnetur.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum; JUDICIUM EXTREMUM, ET GENERALE.

Finis Tabulæ Primæ.

TABU-

TABULA SECUNDA
ARGUMENTORUM, ET SERMONUM
PRO MULTIPLICI ADVENTU.

MONITUM.

UM in Superiori Tabula dederimus varias Sermonum, Argumentorumque adumbrationes in omnes Anni Dominicos dies, quod Dominicale vocatur, nec non in omnes dies Quadragesimæ, quæ eodem nomine Quadragesima nuncupatur: hoc in loco alteram afferimus Tabulam complectentem multiplices Adumbrationes plurium Adventuum, quarum singulæ in quatuor hebdomadas, & singulæ hebdomadæ in sex dies divisæ complectentur argumenta pro qualibet die, quæ omnia referantur ad generale argumentum Adventus, quod singulis assignavimus indigitantes Tomos, & Tomorum Capita, unde ipsas Sermonum structuras, deprompsimus. Qua in re animadvertendum est

Primo. Quamvis plura Sermonum Argumenta sint eadem, quæ in Dominicali, & Quadragesima in priori tabula indigitata sunt; supponendum esse, illa aliter, aliterque offerri posse, quod patet etiam ex primo Paragrapho illius argumenti, de qua agitur singillatim.

Secundo. Quemadmodum per Adventum aliquot Festi dies celebrantur, quorum alii possunt incidere, aliique re ipsa incidunt, potissimum vero in prima hebdomada, si in illis concio sit habenda, desumi posse argumenta, & dicendi copiam, pro Sancto Andrea Apostolo ex primo Tomo Panegyricarum Orationum; pro Sancto Francisco Xaverio ex Tomo III. earumdem: pro Immaculata Beatæ Virginis Conceptione ex Quarto Tomo Mysteriorum; pro Sancto Nicolao ex Tomo III. Panegyricorum; & pro Sancto Thoma ex Tomo primo &c. atque tunc licebit Panegyricum substituere Orationem in locum Sermonis Moralis pro illa die assignati.

Tertio. Cum Tomus, aut Tomi locus memoratur, ubi non deerit supellex ad exornandum pro die illa sermonem; semper supponendum est, rerum, & argumentorum copiam non esse deinceps inveniendam; sed consulendum esse Tomi memorati indicem, vel percurrenda esse in margine argumenta earum rerum, de quibus ibi sit sermo. Quibus addendum est, ea, quæ in hoc prælimnari Monito dicta sunt, esse communia aliis etiam argumentis Adventus, quæ in altera hac Tabula continentur.

PRIMA ADVENTUS
ADUMBRATIO.

Scientiæ Salutis, & Ars semet salvos faciendi.

Hæc Adventus adumbratio in ordine Sermonum in quos divisa est, procul dubio omnium maxime conformis est illi, quam sibi proposuit Dei Filius nascendi, vivendique super terram; caussa enim præcipua, propter quam factus est homo, fuit ut homines salvos faceret, eosque vias salutis doceret. Ceterum cum finis propter quem nati sumus in Mundo, sit, ut operaremur salutem nostram, & per sanctum vitæ genus æternam mereamur beatitudinem; scientia unica, cui vacare debemus, & negotium, quo nihil nobis esse debet antiquius, est discere media, & vias, quæ nos ad optatum hunc finem perducant. In hac autem scientia non secus ac reliquis ordinatim procedendum est, & hic ordo in eo positus est; ut

Primo recte concipiatur quanti referat discere hanc scientiam, quæ una sanctificare nos potest, & sine qua ceteræ sunt inutiles, & sæpe aliquid ad nostram conferunt damnationem. Secundo, ne deterreamur difficultatibus hanc scientiam indipiscendi, quandoquidem illas superare possumus, & debemus ope ipsius Magistri a quo docemur. Tertio, ut sciamus per quos rivulos divinus iste Præceptor scientiam hanc in mentem nostram influat, & quam methodum in nobis erudiendis servet. Quarto, ut constanter, & diligenter servemus præcepta, & placita scientiæ hujus prorsus Cælestis.

Ordinem hunc in primo hoc Adventu servabimus; in cujus prima hebdomada exponemus caussas, quibus cogimur serio studio scientiæ hujus, quæ omnes curas nostras meretur, operam dare. In altera vero exponemus difficultates, quæ nos morantur, & obices, quibus prohibemur; ne insignes progressus faciamus. In tertia aperiemus media, quibus utitur Deus, ut nos erudiat, ac mentem illustret, ut scientiam hanc assequi valeamus. In quarta denique videbimus præcepta, & axiomata, quæ nobis in has scientia traduntur, & quæ peculiariter Mundi Salvator nos docuit. Hanc Adventus adumbrationem inspiravit mihi Deus, ut utilius meo munere fungar, & scientiam salutis vos doceam.

PRIMA HEBDOMADA.

Scientiæ hujus Principia

PRO PRIMA ADVENTUS DOMINICA.

SUPPONIMUS Prædicatorem non aliud Sermonis sui argumentum accepturum esse, nisi Extremum Judicium, quod passim proprium est hujus diei.

Quod spectat ad Sermonis structuram, plures occurrent in Tomo 2. Titulo: JUDICIUM UNIVERSALE. Id agitur tantum, ut una eligatur quæ aliquam habeat rationem cum generali argumento hujus Adventus, quarum quæ aptissima mihi videtur, illa est, quæ numero tertio connotatur. Eaque est,

Cum magna hæc Extremi Judicii dies in Scripturis vocetur dies Domini, & dies ultionum, desumi possunt pro Sermonis argumento, & partitione duæ qualitates, quas Dei Filius induet tunc longissime diversas ab illis, quas in primo Adventu præseruit.

Primo. Pro titulo Salvatoris illum assumet Judicis; sed Judex erit divinitus illustratus, qui ad examen vocabit omnes cogitationes nostras, actiones, officia, omissiones; easque ad Evangelii regulas exiget. Judex diligens, & severus, qui districte judicabit de omnibus; Judex integer, inflexibilis, inexorabilis.

Secun-

Secundo. Pro titulo Mediatoris hominum, eorum sibi deposcet ultionem, de cujus severitate judicium ferendum est ex magnitudine tum iracundiæ suæ, cum enormitatis tot criminum.

PRO FERIA SECUNDA.

Excellentia, & prærogativæ Scientiæ hujus super ceteras valida est ratio, ut cum eo, quo maximo fieri potest ardore eidem operam demus. Qua in re cognoscenda est Primo, dignitas Magistri, qui ad nos docendos descendit, uti loquitur Sanctus Ambrosius: *Primus discendi ardor, nobilitas est Magistri.* Hic enim Magister non descendisset de Cælo, ut aliquid parvi momenti nos doceret.

Secundo, quænam sit hæc scientia, & qualem nobis afferat utilitatem. Etenim nos docet salutis vias, rationem evitandi æternam calamitatem, ad quam damnati eramus, & promerendi æternam felicitatem, qua nos peccata nostra privassent. Nihil majus, nihil studio, ac attentione nostra dignius.

Rerum copia invenietur in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evangel. sub Titulo, SALUTIS, *nec non* STUDII, *ac* SCIENTIÆ.

PRO FERIA TERTIA.

Cura, quam gerit Deus salutis animæ nostræ, & quæ nobis gerenda est, ne pereat in æternum.

Primo. De pretio, & valore animæ nostræ judicium nobis ferendum est ex eo, in quo est apud Deum. Hic illam creavit ad imaginem suam, spiritualem, liberam, immortalem, ideoque respicit illam, tamquam bonum suum, acquisitionem suam, fructum sudorum, laborumque suorum, & Sanguinis pretium, quo illam redemit. Quod nos excitare debet, ut quam maximam geramus curam Salutis ejusdem.

Secundo. Quanti vero nostra debeat interesse ejusdem salus, hoc metiri possumus ex magnitudine jacturæ, quam facimus negligentes salutem ipsius: Jactura hæc irreparabilis est, & citra spem illam sarciendi; unam
Matth. 26. enim habemus animam. *Quid prodest homini, si universum Mundum lucretur &c.* Jactura est universalis; cum enim sit finis omnium creaturum rerum, quæ propter illam dumtaxat factæ sunt, illam amittentes necessario amittemus cetera, quæ non nisi propter illam facta sunt. Jactura hæc est infinita, si enim illam amittimus, amittimus simul Deum, æternam beatitudinem, & omnes Cæli divitias, idque in omnem æternitatem.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: ANIMA, *& in Tomo IV. Titulum:* SALUS.

PRO FERIA QUARTA.

Vera prudentia in eo sita est, ut salutem in tuto collocemus. Probationes, & divisio inveniuntur *in Tomo II. Bibliothecæ Mor. Evang. sub Titulo:* SALUS.

PRO FERIA QUINTA.

Solidis rationibus evincitur, nos in quolibet conditionis genere salvari posse, immo etiam singulos ex eo statu vitæ, quem sumus amplexi, facere nos posse medium ad salutem consequendam.

Consule Tomum IV. Bibliothecæ Mor. Evang. sub Titulo: SALUS.

PRO FERIA SEXTA.

Tamen paucissimi salvi fiunt, & exiguo in numero inter Christianos sunt Prædestinati, quamvis tot sunt adminicula salutis operandæ.

Probationes, atque rationes invenientur in Tomo III. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulo: PRÆDESTINATIO, *& in IV. Titulo:* SALUS.

SECUNDA HEBDOMADA.

Media generalia Salutis operandæ, quæ hæc scientia complectitur, & quæ Dei Filius, qui est ipsa Veritas, nos docet.

PRO DIE DOMINICO.

Matth. 11. ASSUMPTIS pro textu illis hodierni Evangelii verbis: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Cur Sanctus Joannes Baptista misisset quæsitum utrum JESUS CHRISTUS esset Messias. Hic Homo-Deus probaturus Missionem suam, narrat miracula, quæ vera ejus erat probatio. Ubi loqui possumus de Fide, & Religione, quam voluit Salvator primum esse nostræ Salutis Principium. *Justus autem ex fide vivit*, & sine qua ad Rom. 1. Hebr. 11.
fieri nequit, ut Deo placeamus. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Occurrent Sermonum Structura & rerum supellex in hoc argumento in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulo: FIDES.

PRO FERIA SECUNDA.

Medium alterum ad salutem certam efficiendam est vera vitæ mutatio, sinceraque patratorum criminum pœnitentia. Hæc illa est veritas, quam Filii Dei Præcursor in deserto prædicabat; *Vox clamantis in deserto &c.* Matth. 3.
Joannes prædicans Baptismum Pœnitentiæ; quippe quæ Marc. 1. Luc. 3.
omnino est peccatoribus necessaria, ut in viam salutis revertantur, qui alioquin in æternum reprobabuntur, sicuti Dei Filius inquit: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Luc. 13.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: CONVERSIONIS.

PRO FERIA TERTIA.

Tertium generale ad Salutem acquirendam medium: Bonorum operum praxis, *Satagite, ut per bona opera* 2. Petri 1.
certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Ratio est, quia Salutis scientia non solum est Theoretica, ut immoretur in cognitione mediorum quæ ad id sunt necessaria: verum etiam in praxim est redigenda, alioquin, ut docet Sanctus Jacobus Apostolus, fides mortua est; & adultis nulla reliqua est spes Salutis.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum: BONORUM OPERUM, *ubi plures hujus Argumenti Synopses invenies.*

PRO FERIA QUARTA.

Quartum Generale Medium est Oratio, quæ omnino est ad Salutem efficiendam necessaria; quandoquidem hæc via est ad Cæli gratias obtinendas, sine quibus nihil facere possumus ad Cælum promerendum.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum: ORATIO, *ubi Veritatis hujus probationes invenies.*

PRO FERIA QUINTA.

Quintum Generale medium. Fidelitas in obeundis ad unguem officiis status, & vocationis nostræ.

Vide Titulum: VOCATIO, *ubi hoc argumentum fusius pertractatur in Tomo IV. Bibliothecæ Mor. Evang.*

PRO FERIA SEXTA.

Non desunt alia plura media, cum generalia, tum peculiaria salutis operandæ, quibus videtur Dei Filius illam adjecisse; qualia sunt Eleemosyna, Caritas erga Proximum, injuriarum venia, inimicorum dilectio, amor Dei, Christiana Vigilantia, præparatio ad mortem, ex quibus argumentis illud eligi poterit, quod aptius visum fuerit tempori, loco, & magis necessarium Auditoribus.

TERTIA HEBDOMADA.

Methodus, & ratio, qua Dei Filius nos erudit, & docet Salutis scientiam.

PRO DIE DOMINICO.

OSTENDENDUM est, quomodo Salvator, quatenus Doctor, & Magister, cujus nomen in Scripturis assumit per lumen Evangelii in omnibus terrarum plagis prædicati dissipavit miram ignorantiam, & fere universalem cæcitatem, in qua populi versabantur ante Incarnationem; ideoque

Primo adornanda est ad vivum hypotiposis deplorandæ hujus cæcitatis, & corruptionis morum, quæ illam consequitur; quod probat, quantopere indigeamus luminibus, & veritatibus hujus scientiæ. Secundo, describenda est mutatio admirabilis, quam Christiana peperit Religio in Mundo per cognitionem veritatum, quas docet, & observantiam mandatorum, quæ continet.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: CHRISTIANISMUS.

PRO

PRO FERIA SECUNDA.

Ostendendum est quomodo Cælestis hic Magister nos docuit exemplo, quod omnium virtutum nobis reliquit. Sermo habendus est de vi, & efficientia boni exempli ad suadendam virtutem, & probandum hanc ab illo doceri melius, quam omnibus rationibus, atque præceptis.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum; EXEMPLUM.

PRO FERIA TERTIA.

Matth. 3. Assumptis pro themate verbis illis: *Vox clamantis in Deserto.* Magister idem nos erudit voce, ac Ministerio Concionatorum, se Dei verbum esse; igitur ostendendum est Primo, Quanti faciendum sit. Secundo, Et fructus, qui inde percipiendus est.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum; VERBUM DEI.

PRO FERIA QUARTA.

Divinus Præceptor nos peculiariter erudit per Ecclesiam suam, quæ vivens est Oraculum, quod consulere debemus in rebus dubiis, quæ suboriri possunt circa fidem, morumque disciplinam.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: ECCLESIA.

PRO FERIA QUINTA.

Salvator nos edocet interioribus gratiis, quas in Oratione fidelibus animabus impertit. Hinc nonnunquam videmus simplices homines, qui magis illuminati sunt, & quibus magis persuasum est de Christianis veritatibus, quam sit Doctoribus gravissimis, & qui ardentius illas exercent. Præterquam quod, quemadmodum testatur Sanctus Joannes Apostolus, lux est, *quæ* Joann. 1.
illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum; & præterea conscientia singulorum Magister est domesticus singulos de suis officiis erudiens.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: GRATIA ACTUALIS, *nec non in Tomo I. Titulum:* CONSCIENTIA.

PRO FERIA SEXTA.

Sæpe hominem erudit adversis, ac tribulationibus, efficitque ut de æternis veritatibus cogitet: aufert illi errorem fallacium placitorum Mundi, ita ut oculos, & vota sua in Cælum attollat. Hinc inquit Scriptura: Isaiæ 28.
Vexatio dabit intellectum, & alio in loco; *Misit ignem* Thren. 1.
in ossibus meis, & erudivit me. Ipsa etiam nos docet experientia, eos qui in sceleribus vixerunt, converti, & serio salutem suam operari.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum: TRIBULATIO.

HEBDOMADA QUARTA.

Media, quæ hæc Scientia tradit ad Salutis vias complanandas.

PRO DOMINICA.

Luc. 3. SUMPTIS pro themate verbis illis hodierni Evangelii: *Erunt prava in directa, & aspera in vias planas*; ostendendum est in parte prima Sermonis apertissimis argumentis in Dei famulatu, & viis salutis multo minora esse perferenda, quam in via perditionis. In altera vero parte ostendendum est gaudium, & voluptates, quæ in Mundo gustantur, non esse comparandas cum illis, quas Deus delibat sibi deservientibus, salutemque suam operantibus.

Vide Titulum: SERVITUS DEI *in Tomo IV. Bibliothecæ Mor. Evang.*

PRO FERIA SECUNDA.

Fervor devotionis, & caritatis mulcet omnes labores nostros, nobisque vim, animumque ministrat ad superandos obices omnes, qui in via salutis occurrunt, efficiendo ut jugum Domini jucundum, & leve nobis
Matth. 11. videatur. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.*

Vide Titulum II. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum: FERVOR, *& in Tomo IV. Titulum:* DEI SERVITUS.

PRO FERIA TERTIA.

Pax, & gaudium, quod post cupiditatum suarum gustatur victoriam, centuplum remuneratur laborem in iis vincendis sublatum. Hinc qui fideliter Deo famulantur, immutabili tranquillitate perfruuntur.

Vide Titulum SERVITUS DEI *in Tomo IV. Bibliothecæ Mor. Evang.*

PRO FERIA QUARTA.

Moralis certitudo salutis, quam habent Justi, nec non suæ Prædestinationis, caussa est, propter quam arbitrantur, se nihil unquam facere ad felicitatem promerendam; omnesque labores leves ipsis videntur.

Vide Titulum PRÆDESTINATIO *in Tomo III. Bibliothecæ Mor. Evang. & in IV. Titulum:* SERVITUS DEI.

PRO FERIA QUINTA.

Spes æternæ remunerationis Justo promissa efficit, ut sine intermissione prælietur ad promerendam gloriæ coronam, quippe illi persuasum est, remunerationem eamdem semper meritis suis majorem futuram. Quæ consolatio! Quod laborum lenimentum! *Momentaneum, &* 2. Cor. 4.
leve tribulationis supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum; BEATITUDO, *& in IV. Titulum:* TRIBULATIO.

PRO DIE NATIVITATIS DOMINI.

Elige in primo Tomo Mysteriorum Argumentum illud, cur Dei Filius factus est homo, & unice propter unicum nostræ salutis desiderium subire voluerit omnes miserias, & naturæ nostræ infirmitates.

SECUNDA ADVENTUS

ADUMBRATIO.

Altera hæc Adumbratio a priori non differt, nisi propter rationem aliam qua effertur, & peculiaria argumenta, quæ inseri possunt.

PRIMA HEBDOMADA.

Principia Scientiæ Salutis, & Ars semet ipsos salvandi.

PRO DOMINICA.

DE Extremo Judicio.

In To. II. Bibliothecæ Mor. Evang. sub Titulo: JUDICII *eligi potest argumentum, quod aptius videbitur.*

PRO FERIA SECUNDA.

Ostendendum est, veram Prudentiam consistere in seria cogitatione de salutis nostræ negotio.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Mor. Evangel. Titulum: SALUS.

PRO FERIA TERTIA.

In omnibus conditionibus salvari possumus.

Videndus est in Tomo IV. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulus: VOCATIO.

PRO FERIA QUARTA.

Tamen modicus est numerus eorum qui salvi fiunt.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Mor. Evangel. Titulum: PRÆDESTINATIO.

PRO FERIA QUINTA.

De pretio animæ nostræ, quæ quarumcumque rerum pretio salvanda est.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: ANIMA.

PRO FERIA SEXTA.

De Prædestinatione. In nobis positum esse salvari; & non nisi vitio nostro nos reprobari.

Vide